



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio V. De voluntario in genere. ad q. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

21. Hinc sequitur primò. Si exilium & carcer cum acceleratione mortis propter Christum sustineantur usque in finem vitæ, sufficere ad aureolam martyrij.

Sequitur secundò. Diuturnas persecutiones non sufficere ad aureolam martyrij, si quis postea in pace moriatur. Sequitur tertio. Quamvis infantes propter Christum occisi non habuerint voluntatem moriendi pro Christo, tamen habere aureolam martyrij: quia in ipsis non requiritur major voluntas ad martyrium, quam ad baptismum. Sequitur quarto. Milites contra infideles pugnantes si occidantur, non consequi aureolam martyrij; quia non vincunt mortem voluntarie sustinendo pro Christo: sed potius pro viribus à se repellunt. Sequitur quinto. Beatissimæ Virgini competere aureolam martyrij, quia gladius compassionis sub Cruce, quæ caulebatur à summâ dilectione vivacissimâ fide quam ipsa profitebatur stans sub cruce, ita pertransivit animam ipsius, ut, nisi fuisset miraculosè servata, mori debuisset.

22. Quæres quinto. Quidnam requiratur ad obtinendam aureolam Doctoratus? Respond. ut quis non solum ipse sit illustratus doctrinâ divinâ, sed eandem quoque frequentatis actibus in alios derivet, rectâ intentione alijs prædicando divina mysteria, & quæ docuerit, opere implendo; nam qui fecerit & docuerit, hic magnus vocatur in regno cælorum: Ita indicatur Dan. 12. *qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stelle in perpetuum æternitates*; ubi docti, hoc est habentes in se doctrinam, splendori firmamenti comparantur, qui verò ad justitiam (h. e. sanctitatem supernaturalem) alios erudiunt, splendori stellarum, qui cœlestem incomparabilitatem superat.

32. Colliges primò. Aureolam tanquam gaudium accidentale principaliter subiectari in voluntate, ita tamen ut exinde decor specialis redundet in corpus, è quo excellentis victoriæ prerogativa dignosci possit. In quo verò decor iste consistat incertum est, & in alterâ vitâ patebit.

24. Colliges secundò. Christum D. non habere aureolas, quia aureolæ significant aliquod præmium diminutum, ijs competens, qui per imitationem aliquid participant de plenâ & perfectâ Christi victoriâ: unde dicitur. Apoc. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici*. Unde Christus non acceptor sed distributor au-

reolarum longè excellentius habet insigne sue victoriæ, quam sit aureola Beatorum.

Colliges tertio. In Angelis non dari aureolas. nam de aureola virginitatis & martyrij per se patet: de doctoratus aureolâ inde constat: quia homines docere & illuminare est ipsis commune, non speciale; nec ad ipsorum meritum, sed officium pertinet.

Quæres tandem: An reunio corporum in resurrectione pertineat ad animæ beatitudinem? Respond. non pertinere ad essentialem, bene autem ad accidentalem & extensivam perfectionem beatitudinis. Prima pars, cui aliquando contradixit Joannes XXII, tanquam Doctor privatus, existimans, animas defunctorum ante resurrectionem non pervenire ad suam beatitudinem, & claræ DEI visionem, est definita in Flor. & Trid. Sess. 25. in Decret. de ven. SS. deducitur à S. Script. Luc. 23. cum Christus ad latronem dicit: *Hodie mecum eris in paradiso*. Nam cum de loco paradisi id nequeat intelligi, siquidem Christus post mortem descendit ad limbum, tantum intelligi potest de paradiso gloriæ; nam, ut S. August. ep. 57. *Generale paradisi nomen est, ubi felices vivunt*. Item ex Apostolo Philip. 1. *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*: & 2. Cor. 5. *Scimus, quoniam si terrestri domui nostra habitacionis dissolvatur, quod a edificationem ex DEO habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis &c.* Eph. 4. *Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, h. e. animas Patrum è limbo liberatas, quæ de causâ etiam dicitur spoliaste infernum*. Ratio congruentiæ ex S. D. est duplex: quia aliàs non esset facilior modus intrandi cœlum post passionem Christi, quam ante si resurrectio corporum ad beatificam visionem foret expectanda. Secundò, quia animæ in peccato mortali decedentes ante corporum resurrectionem statim rapiuntur ad infernum: ergo cum aliàs DEUS sit liberalior in premiando, quam severus in puniendo, etiam animæ iustorum ad gloriam acquirendam non expectant corporum resurrectionem.

Secundæ partis ratio est: quia licet ipsi visionem beatificam nulla major intensiva perfectio accedere possit ex corporis unionem, tamen animæ gloria redundabit in corpus, & anima plures operationes sibi connaturales exercet in corpore, quod sufficit ad majorem extensivam gloriæ & beatitudinis perfectionem.

DISPUTATIO V.

DE

Voluntario in genere.

ad. q. 6.

Expedito sine ultimo, nunc propiùs ad ipsos humanos actus accedimus, eorundem rationem genericam, in quâ omnes conveniunt, nempe rationem voluntarij cum Angelico Doctore expendimus. De quo

ARTI-

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit voluntarium?

SUMMARIUM.

1. *Acceptio voluntarij.*
2. *Definitio voluntarij.*
3. *Excluduntur motus naturales cognitionis experies.*
4. *Item actus intellectus primò primì.*
5. *Perfectum voluntarium etiam reperitur in actibus necessarijs voluntatis :*
6. *Quomòvis in actibus liberis voluntas magis se moveat applicative.*
7. *Imperfecta cognitio causat voluntarium imperfectum.*
8. *Unde aliud est voluntarium perfectum ; aliud imperfectum.*
9. *Aliud necessarium , aliud liberum.*
10. *Divisio voluntarij in formale , habituale , virtuale.*
11. *In physicum , & morale.*
12. *In expressum , & interpretativum.*
13. *In voluntarium in se , & in alio.*
14. *In directum , & indirectum.*

§. I.

Definitio & subiectum voluntarij.

Notandum. Licet tò voluntarium aliquando strictius pro libero, aliquando latius pro objecto volito, aut omni illo quod est gratum & conforme inclinationi sive elicita sive innata accipiatur; hoc tamen loco & proprie accipi pro spontaneo motu voluntatis seu appetitu vel elicitò, vel imperato, à quo etiam effectus subiecti denominationem voluntarij sortuntur. In quà acceptione est voluntarij definitio à S. D. hic q. 6. a. 1. tradita, & notata

CONCLUSIO. *Voluntarium est, quod est à principio intrinseco, cum cognitione finis.*

Ratio est: Per id benè definitur voluntarium, per quod adæquatè distinguitur ab involuntario & non voluntario tanquam extremo adæquatè opposito; sed per datam definitionem ita distinguitur, ergo. Min. probatur, involuntarij privati & negativi duæ sunt cause, violentia & ignorantia: sed utraque excluditur per datam definitionem, violentia, quod sit à principio intrinseco, cum violentum sit à principio extrinseco; ignorantia verò, quia est cum cognitione finis: ergo per datam definitionem voluntarij rectè distinguitur à suo extremo opposito. Hinc

1. Colliges primò, Voluntarium non reperiri in motibus naturalibus gravium, levium, & animæ vegetativæ: licet enim sint à principio intrinseco, non tamen præsupponunt cognitionem.

2. Colliges secundò, à ratione voluntarij excludi illos actus intellectus qui præveniunt voluntatis imperium; tales quippe actus quamvis possint ex alio actu intellectus procedere, uti

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

conclusio ex præmissis, non tamen procedunt à voluntate operante ex cognitione finis.

Colliges Tertio. Perfectum voluntarium reperiri in omni actu voluntatis conjuncto cum perfecta cognitione finis: siquidem omnis ille actus perfectè participat definitionem voluntarij, sive sit actus liber, sive necessarius; unde etiam amor beatorum elicitus cum perfectissima cognitione ultimi finis est perfectè voluntarius; siquidem tò à principio intrinseco non significat liberam sed solum intrinsecam propositionem in actum quæ vel maxime reperitur in amore fructivo beatorum, in quo voluntas omnes suas vires impendit in actum.

Neque dicas: Voluntas liberè operans se ipsam magis movere ad actum, quam voluntas necessariò operans: ergo actus liber est magis & perfectius voluntarius, quam actus necessarius. Nam Respond. dist. antec. se magis movet applicativè, transeat: elicitive, nego. Arqui ut actus sit à principio intrinseco, æquè habetur, si sit à principio elicitive, quam si sit applicativè.

Colliges quartò. In actibus necessarijs appetitus habentibus imperfectam cognitionem finis, reperiri voluntarium tantummodò imperfectum: quia nimirum imperfectè voluntarij definitionem participant: Unde motus necessarii voluntatis, qui vocantur primò primì, quia non destituuntur omni etiam imperfectà cognitione finis, habent voluntarium imperfectum: imò juxta S. D. a. 2. aliqui motus brutorum procedentes saltem ex imperfecta cognitione finis materialiter sumpti dici possunt imperfectè voluntarij.

§. II.

Divisiones voluntarij.

Voluntarij divisiones sunt variæ & multæ. Et primò dividi in voluntarium perfectum, quod est cum perfecta; & imperfectum, quod est cum imperfecta cognitione finis.

Secundò. In necessarium & liberum: Illud, est quod procedit à voluntate ut determinata ad unum; Istud verò, quod procedit à voluntate indifferenti ad utrumlibet.

Tertio in formale seu actuale, habituale, & virtuale. Formale est, quod pender à voluntate ut actu influente: habituale, quod semel actu volitum non est retractatum, quo modo aliqua intentio dicitur habitualiter perseverare, quamdiu non est retractata. Virtuale, quod pender ab actu præterito non retractato, permanente in aliquo suo effectu, vel determinatione. Sic v. g. Missæ celebratio est formaliter voluntaria, quando formalis intentio celebrandi physice durat, tunc est voluntaria

F

ria

ria virtualiter, quando ipsa quidem formalis intentio actu præterijt, per aliquam distractionem interrupta, non tamen fuit retractata, sed relinquit aliquem effectum ex se causatum, ut est progressio, lectio &c. Unde ad voluntarium virtuale requiritur primò non retractatio actus; secundò permanentia intentionis in aliquo effectu subsequuto. Ac Tertio, ut docet Laym. Th. Mor. l. 1. tr. 2. c. 3. ut operans maneat in eâ animi dispositione, in quâ talis operatio sub ejus liberum arbitrium cadere possit. Unde consecratio prolata à Sacerdote, qui post intentionem consecrandi incidit in amentiam vel ebrietatem, non est virtualiter voluntaria.

11. Quartò dividitur voluntarium in *physicum* & *morale*. Illud est, quod physicè; istud, quod moraliter & imputativè procedit à voluntate. Ac rursus subdividitur in morale propriâ & alienâ voluntate. Morale propriâ voluntate est actus præteritus; non retractatus; & in prudentum judicio quoad aliquem effectum perseverans, donec relaxetur, ac dissolvatur; sic vota, promissiones, contractus moraliter manent ratione obligationis, quam pariunt, quousque hæc relaxentur. Sic peccatum præteritum non retractatum moraliter perseverat in peccatore.

Morale voluntarium alienâ voluntate est illud, quod ex alterius quidem suppositi voluntate procedit, hic & nunc tamen reputatur pro actu propriâ voluntatis. Et hoc fieri potest quadrupliciter. Primò; si quis consentiat; ut alius agat suo nomine, uti fit in procuratore; tunc enim actus procuratoris reputatur voluntarius ipsi principali. Secundò, cum quis auctoritate superioris, vel juris pro altero constituitur: sic voluntas tutoris habetur pro voluntate pupilli in ordine ad alliciendum. Tertio, cum voluntas naturaliter subijcitur voluntati alterius, quo modo voluntas patris censetur voluntas filij impuberis. Quartò, cum quis ex pacto, & sub certa conditione aliquid acceptat pro se, & in se contentis: quo modo Adami

peccatum est omnibus posteris moraliter voluntarium; quia Adamus tam pro se, quam pro omnibus suis descendentibus in se contentis acceptavit justitiam originalem, propagandam, si non peccaret; & consequenter non propagandam, sed denegandam posteris, si peccaret.

Quintò dividitur voluntarium in *expressum* & *tacitum*, seu interpretativum: Illud est, quod actu expresso & formali à voluntate procedit: istud, quod prudentum judicio, vel factione juris censetur à voluntate procedere. Sic actus subditi censetur interpretativè voluntarius Superiori, quando illum, sciens & potes impedire, non impedit.

Sextò dividitur voluntarium in voluntarium in se, & in alio. In se voluntarium est, quod seipso terminat voluntatem. In alio est, quod licet in seipso non sit formaliter volitum, sequitur tamen ex alio formaliter volito, ut potestati & debuerit prævideri securum ex ipso. Sive deinde contineatur in altero tanquam in causa, uti rixa dicitur esse voluntaria in causa, cum quis ebrius rixatur, sciens se habere consuetudinem rixandi in ebrietate. Sive contineatur tanquam inferius in superiori, aut pars in corpore. Sic infanticidium est voluntarium in alio, cum quis prægnantem occidit, sciens, vel culpabiliter ignorans esse prægnantem.

Septimò dividitur voluntarium in *directum* & *indirectum*. Directum est, quod procedit ex positivo voluntatis influxu, sive procedat immediatè, ut furtum à fure, sive mediatè ut mors ex veneni porrectioe. Indirectum (suo nomine Moralitè sæpè appellant voluntarium in causa) propriè illud est, quod licet à voluntate positivè non exeat, eidem tamen imputatur, quasi exiret; quia ab habente facultatem vel obligationem impediendi non impeditur, quâ ratione destructio exercitus & interitus militum est indirectè voluntarius illis Ministris, qui cum possent & deberent necessarium comeatum providere, suâ tamen negligentia providere intermittunt.

ARTICULUS II.

An detur voluntarium indirectum sine omni actu?

SUMMARI A.

1. Ad voluntariam omissionem requiritur actus intellectus.
2. Datur in voluntate pura omisso negativa.
3. Non datur libera omisso omnium prorsus actuum collectivè.
4. Triplex modus, quo omisso cum actu conjungitur.
5. Status questionis.
6. Auctoritas D. Th. pro sententia negante.
7. Ratio prima petita ab exercitio vitali.
8. Ratio secunda à transitu in actum secundum.
9. Ratio Tertia à connexionione cum voluntate.
10. Exponuntur objecte auctoritates.
11. Quo sensu pura omisso sit extremum libertatis?
12. Quomodo possit voluntas ab aliquo objecto necessitari?
13. In denegatione concursus omisso tantum pura negativa.
14. Quid si DEUS præciperet, semper aliquis operari.
15. Que sit distinctio inter præcepta affirmativa & negativa?
16. An liberum indirectum requirat puram omissionem.
17. Auctoritas D. Tho. pro possibilitate pura omissionis libere.
18. Ratio ex naturâ libertatis contradictionis.
19. Et indifferentia ad suspendendum actum.
20. Voluntarium indirectum plus non requiritur quam non agere, cum potes & debet agere.

21. Ratio, cur dari possit pura omisso peccaminosa, non autem meritoria.
22. Non datur pura omisso indifferens in individuo.
23. Non sequitur, quod Angelus potuisset in primo instanti peccare per puram omissionem.
24. Voluntas per puram omissionem mutat ultimum finem negativè & interpretativè, & ipsa mutatur theologicè non physicè.
25. Exponitur auctoritas S. D. de actu remoto & intellectus.
26. Exercitium vitale morale potest esse sine actu.
27. Imò non omne exercitium libertatis est vitale.
28. Voluntas per puram omissionem moraliter transiit ab actu primo ad actum secundum.
29. Non omne voluntarium positivè procedit à voluntate.
30. Quomodo in purà omissione voluntas se habeat humano modo.

§. I.

Exponitur status questionis.

Adem quæstio proponi solet his terminis: Etrum dari possit pura omisso libera sine omni voluntatis actu? Ubi

Suppono primò. Non posse dari puram omissionem liberam & voluntariam absque omni actu intellectus: nam ubi nulla est cognitio finis, ibi non est voluntarium. Et ubi non est propositio indifferens, ibi non est liberum: sed ubi nullus est actus intellectus, ibi neutrum reperitur ergo.

Suppono secundò. Posse dari in voluntate puram omissionem alicujus, vel omnis actus, quæ sit merè negativa, nec proinde voluntaria: quando nimirum nullum objectum vel prosequendum vel fugiendum voluntati proponitur veluti quotidianæ experientia in amentibus & dormientibus testatur.

Suppono Tertio. Non posse voluntatem esse liberè & privativè suspensam ab omni actu circa omnia objecta collectivè sumpta: Nam ad hoc requireretur, ut voluntas præsuppositivè esset in actu primo proximo constituta ad eligendos omnes actus circa omnia objecta collectivè: sed hoc est impossibile; cum nec intellectus omnia illa objecta possit simul proponere.

Suppono quartò. Triplici modo posse aliquem actum cum omissione conjungi. Primò, ut actu interiori voluntatis directè tendat in omissionem, v. g. ut instante præcepto audiendi Sacrum, dicat: Volo omittere Sacrum. Secundò, ut voluntariè ponatur actus exterior, ex quo prævidet aliquis fecuturam omissionem actus præcepti, quamvis ille actus exterior non comitetur, sed antecedit omissionem: e. g. si quis in suò documentū protrahat potum, lulum, studium &c. ex quo prævidet, se deinde matutino tempore, quo Sacrum deberet audire, non evigilaturum. Tertio, ut voluntariè ponatur actum, qui simul est impossibilis cum auditione Sacri: v. g. ut studeat, ludat, &c. quo tempore scit, aut posset & deberet scire, se esse obligatum ad audiendum Sacrum. Primo modo omisso est directè & immediatè in se vo-

R. P. Mezger, Theol. Schol., Tom. II,

luntaria. Secundo modo est mediatè voluntaria & in causâ. Tertio modo est indirectè vel etiam interpretativè voluntaria.

Nullum ex tribus prædictis modis esse determinatè necessarium, & quemlibet ad voluntariam omissionem sufficere in comperto est: Controverfia tamen est, an voluntas aliquando, propositâ sibi per intellectum facultatè & obligatione exercendi aliquem actum, illum purè mittendo, & nullum alium actum ponendo, qui sit directè vel indirectè causa vel occasio illativa ejusmodi omissionis (quamvis aliquem actum merè per accidens & concomitanter se habentem fortè conjungat) tamen voluntariè illum actum omitat, sicque peccaret peccato omissionis saltem interpretativè voluntario, e. g. si quis sacerdos videns hominem submergi cogitet de impetrendâ absolutione, & tamen nec velit nec nolit illum absolvere, sed supposito utroque actu simpliciter omitat absolutionem, sitne hæc omisso voluntaria? In hujus quæstionis resolutione quia reperiuntur Thomistæ Thomistis contrarij. Pro negativa stant Philippus à S. Trinitate, Jo. à S. Th. Gonet, Salmanticæ. Magnificus P. Petfchacher in Thef. de act. hum. Th. II. cum Mag. Sent. Bonav. Capreolo, quæ & mihi placuit in Thef. de Act. hum. c. 3. §. 2. Affirmativam tuerent Medina, Sylvius, Curiel, Corneo, Godous hic dist. 21. §. 2. Illustr. Redinus q. 3. a. 7. Controv. 5. Eandem tenent Durandus, Marfillius, Suarez, Valentia, Lambertus q. 71. disp. 6. a. 2.

§. II.

Fundamenta sententiæ negativæ.

Sententiæ negans possibilitatem puræ omissionis liberæ nicitur primò auctoritate D. Th. inf. q. 71. a. 5. dicentis: Si in peccato omissionis consideretur id, quod per se pertinet ad rationem peccati, sic aliquando est omisso absque omni actu tam exteriori, quam interiori: si verò in peccato omissionis intelligantur etiam cause, vel occasiones omitendi, sic non est omisso absque aliquo actu. Ubi sensus est, quod licet omisso quæ talis, & ex natura omissionis, non requiratur aliquem actum, quasi constitutum sui, sic enim formaliter est carentia actus, tamen ex parte operantis, & quatenus ipsi voluntaria requiratur aliquem actum, qui saltem sit causa vel occasio ipsius: sicut multa alia non possunt poni sine altero, quod tamen non est de intrinseca essentia ipsius, uti volitio poni non potest sine voluntate, essentia sine existentia &c. Sic ipse claris verbis exprimit q. 2. de malo a. 1. in c. loquens: Per se loquendo potest esse aliud peccatum, ad quod non requiritur aliquis actus, qui sit de essentia peccati. Si autem consideretur id, quod requiritur ad peccatum, ut causa peccati, sic oportet, quod ad quodlibet peccatum etiam omissionis aliquis actus requiratur, &c. Ad hoc ergo, quod omisso sit peccatum, requiritur quod omisso causetur ex aliquo actu voluntario.

Probatur secundò ratione. Exercitium vitale non potest esse sine omni actu; sed libera omisso includit exercitium vitale; ergo includit aliquem

quem actum. Major probatur, quia exercitium vitale essentialiter est motus ab intrinseco: motus autem ab intrinseco non est sine aliquo actu voluntatis. Minor etiam probatur: exercitium libertatis formaliter est exercitium vitale: sed libera omisso est exercitium libertatis. Ergo. Major probatur: potentia formaliter libera est potentia formaliter vitalis: ergo & exercitium potentia formaliter libera est exercitium formaliter vitale.

Nam potentia specificantur & denominantur ab actibus; ideò si actus & exercitium potentia libera non esset formaliter vitale, etiam potentia formaliter libera non esset, & denominaretur formaliter vitalis. Antecedens verò ex hoc constat, quòd libertas sit perfectio, & proprietas vitæ, essentialiter includens & supponens vitam, seu potentiam sese movendi ab intrinseco.

Confirm. Si voluntas in actuali exercitio suæ libertatis esset suspensa ab omni actu, haberet se modo mortuo; sed hoc est absurdum, seq. prob. Si voluntas non vivat in actu primo, etiam habet se modo mortuo in actu primo: ergo si non vivat in actu secundo, habebit se modo mortuo in actu secundo: Atqui non vivit in actu secundo, sine omni suo motu & actu, cum vivere vitæ secundæ sit moveri ab intrinseco, ergo.

Neque dicas. Puram omissionem esse exercitium libertatis non physicum, sed morale: ideòque non necessario includere actum vel motum vitæ. Nam *contra* est, quòd implicat esse exercitium vitale, quod non sit physicum: cum vita sit per essentiam perfectio physica: sed exercitium libertatis, sive sit contrarietatis, sive contradictionis, semper est exercitium vitale: ergo semper est exercitium physicum. Minor probatur: libertas in actu primo sive sit contrarietatis, sive contradictionis, semper est perfectio vitalis: ergo etiam libertas in actu secundo, sive exercitium illius, semper est exercitium vitale.

8. Probatur Tertio. Ratione S. D. insinuata in cit. q. de malo. Ut omisso fiat in actu secundo voluntaria, & peccaminosa omissio, necesse est aliquid assignari, per quod omisso ex voluntaria in potentia fiat voluntaria in actu, & ipsa voluntas ab actu primo & potentia omissio in intrinseco transeat ad actum secundum omissio: sed hoc aliud esse non potest, quam actus voluntatis: ergo. Min. probatur: nam, quicquid extrinsecum assignaveris, non sufficit ad voluntarium, cum voluntarium essentialiter requirat causam intrinsecam. Quicquid autem est intrinsecum, illud aequè adfuit in actu primo, nempe propositio indifferens in intellectu, & voluntas suspensa ab actu.

9. Probatur quarto. Omne voluntarium debet à voluntate positivè procedere: sed pura omisso sine omni actu non potest à voluntate procedere, ergo. Min. probatur. Nihil potest à voluntate procedere, nisi voluntas ad hoc ipsum sit inclinata & determinata à suo adæquato objecto; neque enim ulla potentia fertur extra suum objectum: sed voluntas sine omni suo actu non potest esse ab objecto suo adæquato & specificativo determinata, ergo. Min. probatur. Voluntatis objectum adæquatum est bonum & finis, sed

hic non trahit & determinat voluntatem sine suo actu: tum quia causalitas finis est appeti, & in multorum Thomistarum sententiâ est ipse actus amoris; tum quia non potest intelligi voluntatem immutari & trahi à fine, sine intrinseco & passivâ immutatione sui, ergo.

Confirmatur. Voluntas nunquam refugit malum ex motivo retrahente nisi in virtute boni retrahentis per amorem sui: Atqui omisso voluntaria est quadam fuga actus præcepti propositi sub motivo retrahente; v. g. omisso sacri est fuga ipsius quatenus impediens actum studij, iustis &c. Ergo præsupponit amorem boni, quia proposito est affectus erga studium, lulum &c.

§. III.

Objectiones solvuntur.

Obijcies primò è S. Script. ubi Luc. 14. in-
putatur peccatum scienti bonum facere, &
non facienti. Adeòque significatur omissionem
actus conjunctam cum advertentia, esse sufficienter
voluntariam.

Secundo auctorit. S. D. 2. 2. q. 79. a. ult. ad ult.
& pluribus locis dicentis, quòd aliquod peccatum
possit esse absque omni actu.

Respond. ad 1. Eo loco, & similibus signifi-
cari, quòd ratio peccati, propter quod aliqui pe-
niuntur, consistat in omissione boni, non autem,
quòd illa omisso sit absque omni actu.

Ad secundum quoque dico, S. Doctoris me-
tem esse, peccatum omissionis, secundum id,
quod in peccato per se consideratur, esse sine ac-
tû: non autem secundum ea, quæ per modum
causæ, vel occasionis etiam per accidens conjun-
cta in peccato omissionis spectantur: quo modo
S. Doctor seipsum exposuit *loc. sup. cit.*

Obijcies ex ratione primò. Quod libertas im-
mediatè respicit pro suo extremo, potest esse
exercitium libertatis; sed libertas contradic-
tionis pro suo extremo immediatè respicit puram
omissionem; ergo. Minor probatur. Libertas con-
tradictionis respicit contradictorie opposita, sicut
libertas contrarietatis respicit contrarie opposi-
ta: sed contradictorie opposita sunt actus & ejus
pura omisso, sive agere & non agere: ergo li-
bertas contradictionis pro suo altero extremo re-
spicit puram omissionem.

Respond. negando minorem, & ad ejus pro-
bationem dist. min. Contradictione opposita
sunt actus & ejus pura omisso, quæ sit pura omis-
sio respectu omnis actus, nego: respectu deter-
minati actus & objecti, concedo minorem: & si-
militer distincto consequente, nego contrarietatem.
Rursus, Contradictorie opposita, quæ respiciuntur
à libertate contradictionis, sunt agere & non
agere, prout non agere dicit negationem omnis
actus, nego: prout dicit negationem alicujus de-
terminati actus, concedo. Ratio est dicta est,
quia voluntas libera respicit suum exercitium,
prout natum est causari & egredi ex voluntate:
sed negatio vel omisso actus non est nata & apta
causari à voluntate, nisi ratione alicujus actus,
& quatenus omisso actui determinato, non qua-
tenus omni actui voluntatis opponitur. Ergo
etiam ut sic à libera voluntate respicitur.

Obijcies secundò. Voluntas creata à nullorum
objecto

objecto potest in hac vita necessitari quoad exercitium: ergo sicuti voluntas potest suspendere suum actum circa determinatum objectum: ita poterit suspendere omnem actum circa quodlibet objectum.

Respond. Imprimis nego consequentiam; quia proceditur à sensu distributivo ad collectivum. Secundò, dist. antec. à nullo objecto determinatè sumpto potest quoad exercitium necessitari, concedo. A nullo objecto indeterminatè & vagè sumpto, quasi voluntati sit liberum, ut in exercitio suæ libertatis omnium omnium objectorum collectionem deserat, sic nego. Hoc enim tam est impossibile; quam impossibile est voluntati ferri extra suum objectum.

13. Objicies tertio. Posset DEUS denegare voluntati concursum ad ullum actum: ergo in eo casu voluntas pure omitteret actum oppositum.

Respond. In illo casu puram omissionem non fore voluntariam & privativam, sed mere naturalem & negativam.

14. Objicies quarto. Posset DEUS facere præceptum semper exercendi aliquem actum: sed huius præcepti transgressio non foret alia, quam pura omisso libera. Ergo posset dari pura omisso libera.

Respond. Quòd cum DEUS non possit nisi bonos actus præcipere, violatio illius præcepti non foret per puram omissionem; sed vel per actum malum, vel omissionem actui non bono conjunctam.

15. Objicies quinto. Si non daretur pura omisso libera, præcepta affirmativa non sufficienter distinguerentur à negativis, cum utrumque præceptum foret de actu positivo.

Respond. negando sequelam. Quia distinctio inter præcepta negativa & affirmativa non ex hoc sumitur, quòd negativa præcipiant puram negationem, cessationem, & suspensionem ab omni actu, sed quòd per se & directè præcipiant omissionem actus determinati (quemadmodum & affirmativa præcipiunt actum determinatum) eo modo, quo voluntariè causari & poni potest: quæ cum liberè & voluntariè sine aliquo actu vagè & indeterminatè sumpto causari non possit, mirum non est, si præcepta negativa indirectè & per accidens, nempe non ex conditione objecti sed subiecti aliquem actum, non determinatè, sed vagè sumptum, seu causam vel occasionem ipsius omissionis præcipiant.

16. Objicies sexto. Ad hoc, ut voluntas non agat, cum potest & debet agere, nullus actus requiritur: sed voluntarium indirectum in hoc consistit, quòd voluntas non agat, cum posset & deberet agere: ergò voluntarium indirectum non requirit aliquem actum.

Respond. voluntarium indirectum in hoc consistere, quòd voluntas cum posset & deberet agere, liberè non agat: atqui liberè non agere, absque interventu alicujus actus, ipsam non posse, abundè ostensum est.

§. IV.

Fundamenta sententiæ affirmantis.

17. CONCLUSIO. Probabilius est, dari posse puram omissionem liberam sine omni voluntatis

actu casualiter, vel occasionaliter conjuncto cum illa.

Fundamentum ex auctoritate D. Th. est primò, hic q. 6. a. 3. in arg. sed contra ita arguentis: *Illud cuius domini sumus, dicitur esse voluntarium, sed nos domini sumus ejus, quòd est agere & non agere, velle & non velle: ergò sicut agere & velle est voluntarium, ita & non agere & non velle.* Et in c. *Quia igitur voluntas volendo & agendo potest impedire hoc, quòd est non velle & non agere, imputatur ei, quasi ab ipsa existens, & sic voluntarium potest esse absque actu: quandoque quidem absque actu exteriori cum actu interiori, sicut cum vult non agere: aliquando autem & absque actu interiori, sicut cum non vult.*

Et ad primum dicit voluntarium esse à voluntate indirectè, sicut à non agente, Et infra.

Similia habet q. 2. de malo a. 1. ad 2. & 4. præsertim verò in 2. sent. d. 35. q. 1. a. 3. ubi sic habet: *Quidam autem dicunt, quòd in peccato omissionis semper oportet aliquem actum esse, per quem aliquis retardatur ab impletionè præcepti, vel mandati, seu interiorè voluntatis, ut cum aliquis vult præcepto non obedire, vel exteriorè, ut cum aliquis facit aliquem actum per quem ab expletione præcepti impeditur: & ponitur exemplum de illo, qui nimis vigilat, & non potest surgere hora debita, sed ista opinio non videtur necessitatem habere; cum enim voluntas libera sit, nec ad aliquid faciendum vel non faciendum determinetur, potest prætermittere aliquid, nihil de opposito cogitando, nec de aliquo, quòd sit impedimentum ejus.* Denique in 2. ad Annibald. dist. 35. q. un. a. 2. ad 2. *Omissio, inquit, non de necessitate voluntaria dicitur propter voluntatis actum, sed propter hoc quòd in potestate voluntatis consistit.*

A ratione fundamentum est primò Illud potest esse exercitium, quòd libertas pro suo extremo immediatè respicit: sed libertas contradictionis pro suo extremo immediato respicit puram omissionem: ergò. Min. probatur: sicut libertas contrarietatis immediatè respicit opposita contrariè, sic libertas contradictionis immediatè respicit opposita contradictoriè: sed opposita contradictoriè sunt actus & ejus negatio, hoc est agere & non agere; ubi non agere tanquam actui contradictoriè oppositum est pura omisso, ergò libertas contradictionis puram omissionem actus immediatè respicit.

Secundò. De ratione libertatis est, ut proposito quocunque objecto sub indifferentia possit voluntas circa illud actum elicere, vel omittere: ergò proposito v. g. objecto & præcepto dilectionis DEI potest circa illud suum actum suspendere & intermittere.

Neque dicas: quamvis circa hoc determinatum objectum possit actum suspendere, necessarium tamen esse, ut circa aliud objectum aliquem actum exerceat, ad hoc ut ista omisso fiat saltem indirectè voluntaria. Nam contra est: quòd non sit major ratio de uno, quàm de altero objecto: unde si voluntas potest suspendere suum actum circa objectum dilectionis DEI, non est ratio, cur non possit etiam suspendere circa aliud objectum. Contra est etiam clara auctoritas S. D. in 2. ad Annibald. d. 35. q. un. a. 2. ad

ad 3 dicentis: *Omissio non de necessitate voluntaria dicitur propter voluntatis actum, sed propter hoc, quod in potestate voluntatis consistit.*

Confirmatur. Est quod voluntas simul occupetur in alio actu, quando omittit actum præceptum v. g. dilectionis vel contritionis, tamen fieri potest, ut ille actus sit plane disparatus, & nullam habeat impossibilitatem cum actu præcepto, quo casu merè concomitanter, materialiter, & per accidens se habet ad omissionem, ita enim adest, ac si abesset: g. in casu quo sacerdos videns aliquos submergi, negligit ipsos absolvere, in casu quo solemnis minister sacramenti cogitans se esse in statu peccati mortalis, negligit elicere contritionem, ibi neque aspectus submerisionis, neque administratio sacramenti est causa, vel occasio omissionis, cum utraque sit compossibilis cum actu opposito, ergo saltem in tali casu omissio illa voluntaria & peccaminosa egreditur è solâ libertate voluntatis absque aliquo actu; ratione cuius dici possit voluntaria, ac proinde est pura omissio. Quæ enim per accidens adfunt, ita adfunt, ac si non adessent: sed uterque actus in ordine ad omissionem se habet per accidens: ergo ita se habent, quasi abessent: nec proinde puram omissionem impediunt.

20. Tertiò. Ad hoc ut voluntas non operetur, cum possit operari, nullus actus requiritur: sed voluntarium indirectum, ut est omissio libera peccaminosa, consistit in hoc, quod voluntas non operetur, cum potest & debet operari: ergo voluntarium indirectum, ut est omissio libera, haberi potest sine actu.

Confirmatur primò. Ad voluntarium interpretativum & morale sufficit, aliquid reduci in voluntatem tanquam causam suo modo moraliter concurrentem: ut constat in ignorantia vincibili: sed pura omissio aliquando reducit in voluntatem tanquam causam, ergo pura omissio potest esse interpretativè voluntaria: Min. probatur. Illud reducit in voluntatem tanquam causam moralem, quod ab ipsa dependet tanquam domina, sed pura omissio ita ab ipsa dependet: quia voluntas æquè est domina sui non agere & non velle, quam sui agere & velle: sicuti in gubernatorem tanquam causam reducit cessatio gubernationis, quia in ipsius potestate non minus est cessare à gubernando, quam gubernare navim.

Confirmatur secundò. Volitio interpretativa nihil aliud est, quam ipsa voluntas ita se habens circa aliquid ac si vellet illud, sive quod voluntas sit in eâ dispositione, ut prudenter possimus interpretari, voluntatem hoc velle: sed ita contingit, cum voluntas habens plenam advertentiam actus præcepti est negligens in operando, quamvis nullum alium actum adhibeat: ut patet in gubernatione navis primùm adductâ in exemplum. Sicut enim rectè dicimus, gubernatorem velle omittere gubernationem navis, vel nolle gubernare navim: sic etiam in aliis omissionibus rectè dicitur aliquem voluisse sacrum, brevium &c. omittere.

§. V.

Solvuntur objectiones.

21. **O**bjicies primò. Si daretur pura omissio libera & voluntaria, tunc etiam daretur pura

omissio bona & meritoria, vel certè indifferentis in individuo: consequens non videtur consentaneum doctrinæ S. D. & repugnat doctrinæ à nobis inferiùs docendæ, uti nunc supponitur. Ergò. Sequela probatur. Pura omissio actus præcepti potest esse mala, quia potest esse interpretativè voluntaria; ergo etiam pura omissio actus prohibiti poterit esse bona & meritoria, quia poterit esse interpretativè voluntaria: si enim sufficit ad voluntarium interpretativum in omissione actus præcepti æquivalentia puræ omissionis cum voluntate omittendi, æquæ sufficet in omissione actus prohibiti, v. g. furandi, æquivalentia omissionis cum voluntate omittendi furum, quæ est bona moraliter.

Si dicas: idè deesse bonitatem moralem, quia bonitas & honestas ex objecto non reinditur in exercitium voluntatis nisi directè amatur; tunc saltem sequeretur altera pars de membrum sequelæ maj. nam per se talis omissio non est bona, defectu bonitatis objectivæ directè imventis voluntatem. Sed neque est mala; quia per omissionem furci impletur præceptum non furandi, neque ipsa repugnat regulis rationis: ergo est indifferentis.

Resp. Nego utramque sequelam: & ad primam prob. Respond. disparitatem esse: quod nolum tanquam aliquid defectuosum ex se idoneum sit terminare voluntarium tam directum quam indirectum, idè quæ etiam venenum sine malitiæ refundat in puram omissionem indirectè voluntariam: ut inquit S. D. 1. 2. q. 71. a. 5. ad 1. *Peccatum potest contingere, sive aliquis sciat, quod non debet, sive non faciendo quod debet: ut qui bonum honestum ex natura boni instantim communicat voluntati suam bonitatem, in quantum directè amatur.*

Ad alterius sequelæ probationem quamvis aliqui concedant sequelam, existimantes solum positivum libertatis exercitium non posse esse indifferentis, quia tantum ex suppositione, quod voluntas operari velit, tenetur operari ex fine naturæ rationali quâ tali consentaneo, qui non admittit puram indifferentiam.

Meliùs tamen cum Godoy q. 71. tr. 1. d. 2. 1. 2. §. 8. sequela negatur, & dicitur, omnem puram omissionem esse vitiosam, quia omne exercitium voluntatis, ipsi quâ rationali proprium est subiectum regulis naturæ rationalis quâ talis: atque istæ non minus prohibent otiosam omissionem, quam commissionem, cumque exercitium pure negativum voluntatis sit otiosum, ut potè non ordinatum in bonum finem, hoc ipso etiam est vitiosum.

Neque refert, quod per omissionem furci v. g. impleatur præceptum negativum non furandi, sicut enim istud præceptum negativum potest impleri etiam per omissionem furci elicitem ex pravâ intentione, & tamen non idè sit moraliter bona: sic etiam per puram omissionem ex nullo fine formaliter procedentem præceptum furandi impleatur, potest esse vitiosa, eò quod voluntas in libero suo exercitio, quod ipsi quatenus naturæ rationali competit, omittit opponere debiti finis honesti circumstantiam, de qua plura inferiùs.

Neque

Neque ex hoc solo potest fortiri bonitatem, quod sit omisio actus prohibiti; cum ut sic sit indifferens, ut procedat ex voluntate tantum vel male regulata.

Objicies secundò. Ex pura omisione sequetur, quod Angelus potuisset peccare in primo instanti peccato pura omisionis; sed hoc est contra dicta in Tr. de Angelis. Ergo, Sequela probatur: quia in primo instanti habuit libertatem contradictionis, quæ pro altero extremo respicit puram omisionem: potuisset igitur in primo instanti pura saltem omisione omittere dilectionem DEI super omnia: sed sic omittendo peccasset; siquidem in primo jam instanti habuit præceptum amandi DEUM super omnia.

Respond. neg. sequelam. Et quidem ex duplici capite: primò, quia primum practicum iudicium indifferentiæ non potuit esse defectuosum, utpotè à DEO immissum: sed iudicium illud præcedens omisionem fuisse defectuosum, quippe conjunctum cum practica negligentia advertendi ad debitum finem & præceptum. Secundò, quia in primo instanti Angelus à DEO movebatur motu vitæ supernaturalis, & circa ultimum finem supernaturalem: sed iste est motus positivus & bonus bonitate supernaturali. Ergo. Neque refert, quòd in primò instanti Angelus habuerit libertatem contradictionis: habuit enim illam ut posset omittere actum dilectionis potentia antecedente, & pro sensu diviso tum efficacis motionis, tum præcepti dilectionis, concedo. Habuit potentia consequente & pro sensu composito præcepti & efficacis motionis à DEO ut causa speciali causatæ, nego.

Objicies tertio. Si quis posset peccare per puram omisionem, tunc voluntas absque omni suo actu posset mutare suum finem ultimum; sed hoc videtur absurdum. Ergò.

Sequela est certa: nam qui peccando mortaliter fit ex iusto injustus, mutat suum finem ultimum: sed per puram omisionem aliquis peccaret mortaliter; ergò per puram omisionem absque ullo voluntatis actu posset aliquis mutare suum finem ultimum. Minor probatur. Voluntas non mutat ultimum finem, nisi tendat & se suaque convertat in finem ultimum; sed sine suo actu non tendit, nec & sua convertit in finem ultimum: ergò.

Confirmatur primò. Voluntas non potest mutare finem, nisi ipsa fuerit intentionaliter attracta & mutata à fine: sed hoc sine aliquo ipsius actu non potest intelligi, ergò.

Confirmatur secundò. Voluntas, dum peccat & mutat finem ultimum, mutatur: sed non mutatur sine suo actu ergò.

Respond. vel negando minorem, vel dist. majorem: posset absque omni suo actu formali mutare finem ultimum, concedo. Absque omni suo actum formali, quam interpretativo, nego majorem. Et pariter dist. min. nego consequent. Itaque cum voluntas post plenam advertentiam negligit elicere actum præceptivum, pure omittendo ipsum, in prudentum æstimatione ita se habet, ac si vellet ipsum omittere, non obstantè præcognitâ legis transgressione, & jacturâ divinæ amicitia, ideòque hæc pura omisio

virtualiter, sive æquivalenter & interpretative habetur pro actu, nempe voluntate, omittendi, & contemptu legis divinæ.

Ad probationem min. disting. maj. Voluntas non mutat ultimum finem positive, nisi tendat in ipsum, concedo: non mutat negative & interpretative, sic nego.

Similiter ad primam confirmationem. Voluntas non mutat ultimum finem positive nisi quatenus ab ipso attracta, concedo: non mutat negative, nego. Et similiter distincto consequente, nego consequentiam.

Ad secundam confirm. disting. maj. mutatur moraliter & theologicè, concedo: in quantum nempe peccaminosam omisionem ex necessitate consequitur subtractio & privatio gratia & charitatis, per quam homo prius erat habitualiter ordinatus in DEUM: mutatur physicè quasi per entitativam mutationem aut gratia expulsiorem, nego.

§. VI.

Respondetur ad fundamenta opposita sententia.

Ad primum ex autoritate D. Th. desumptum, respondeo, S. Doct. loqui de occasionibus vel causis tantum remotis; & sic verum est, quòd aliquis actus voluntatis accedat, saltem ille, quo voluntas applicat vel incipit applicare intellectum practicum ad proponendam sibi obligationem actus præceptivi, qui tamen non obstat puræ omisioni & suspensioni actus.

Ad secundum respond. primò disting. maj. 26. Nullum exercitium vitale physicum & positivum potest sine omni actu, concedo. Nullum exercitium vitale, morale, & negativum, nego maj. sed omisio libera est exercitium libertatis vitale negativum & morale, concedo. Physicum & positivum, nego minorem & consequentiam. Ratio est: quòd vitale exercitium negativum, est ipsa negatio exercitii vitalis positivi, dependens tamen à voluntate, quæ, ut inquit S. Doctor, sicuti est domina sui agere, ita etiam sui non agere.

Respond. secundò cum Godoy loc. sup. cit. ne-27. gando min. quòd omne exercitium libertatis, sit vel includat exercitium vitale. Cujus ratio est: quia, licet voluntas, etiam ut libera libertate contradictionis, adæquatè sit entitas positiva; non tamen est adæquatè principium activum, sed est etiam principium non activum, seu principium negationis actus. Ex quo sequitur non omne exercitium voluntatis, ut libera libertate contradictionis, esse quid positivum; sed prout comparatur ad ipsam seu principium agendi, sic esse positivum; prout ad ipsam comparatur seu principium non agendi, sic esse exercitium negativum, seu omisivum. Unde, quòd voluntas sit potentia volendi, non est adæquatus sed inadæquatus conceptus ipsius; cum sit æquè potentia non volendi.

Ad probationem nego paritatem inter libertatem habitualem & exercitium ipsius, seu libertatem actualem: nam libertas habitualis seu potentialis adæquatè sumpta pro uno saltem

tem extremo semper respicit actum positivum & vitalem, atqui exercitium libertatis cum tantum terminet unam inadæquatam rationem libertatis, potest esse formaliter non vitale, siquidem voluntas ut libera libertate contradictionis, sicut secundum unam inadæquatam rationem est principium volendi, & sic exprimit vitalitatem; ita secundum alteram inadæquatam rationem, etiam est principium non volendi, & sic non exprimit vitalitatem. Inquis: ergo voluntas dum peccat per puram omissionem, habet se modo mortuo?

Respond. Si nil aliud intelligas per esse mortuum, quam carentiam actus vitalis ipsius potentie peccantis, sic non esse absurdum, quia tunc idem significat, ac voluntatem peccare nihil agendo; ipse tamen homo non dicitur peccare se habendo modo mortuo: tum quia non caret vita radicali, à principis proximis operandi vitaliter, tum etiam quia non caret actu vitali intellectus, ratione cujus voluntas sit proxime expedita ad actum secundum.

28. Ad tertium Respond. Voluntatem non quidem physicè, sed moraliter transire de actu primo ad actum secundum, & omissionem fieri voluntariam in actu, in quantum voluntas, per præviam advertentiam constituta in actu primo & potentia proxima ad ponendum actum ex intrinsecâ suâ efficacâ conjungitur cum omissione opposita illi actui hic & nunc eliciendo, si voluntas maluisse se positivè ad actum, quam negativè determinare ad actus omissionem.

Dices: ommissio opposita actui jam erat in actu primo voluntatis, siquidem nihil aliud est, quam carentia actus: ergo ratione hujus omissionis non rectè dicitur voluntas transire ab actu primo ad actum secundum.

Confirmatur. Ut ommissio actus de novo fiat, necesse est illam fieri ex aliquo suo opposito tanquam termino à quo, sed nullum oppositum est assignabile; siquidem negatio & ommissio actus sunt potiùs eadem quam opposita.

Resp. negando antecedens, & ad ejus probat. dist. antecedens, ommissio actus nihil est aliud quam carentia ut egrediens à voluntate habente potentiam proximam actus oppositi, concedo: quam carentia actus absolute, sic nego: priori modo est mera negatio voluntatem ceu subjectum connotans, modo posteriori est privatio actus voluntatem ceu principium connotans, sub priori ratione est in voluntate, sub posteriori à voluntate.

Ad confirmationem nego min. & dico, quod ommissio actus fiat ex sui negatione, seu non esse: nam in priori instanti & actu primo, antequam voluntas se negativè determinaret ad actus omissionem, sic præscindebat tam ab actu, quam ejus omissione.

Instabis: Non datur negatio negationis, ergo si negatio actus sit ex sui negatione, sit ex affirmatione alicujus positivi.

Respond. negatio negationis absolute est affirmatio, concedo: negatio negationis sub certâ ratione, nimirum, ut egrediens à voluntate, nego maj. atqui ommissio actus sit ex negatione sui absolute, nego: ex negatione sui ut egredien-

tis à voluntate, concedo min. & nego consequentiam. Nam inter negationem negationis ut à voluntate egredientis & inter ipsum actum datur medium, nempe negatio existens in voluntate & ab ipsa non egrediens.

Ad quartum respondeo negando majorem: cum enim pura ommissio non procedat à voluntate ut est principium agendi & volendi, sed ut est principium non agendi & non volendi, idcirco ab ipsa non positivè sed negativè, non physicè sed moraliter procedit.

Ad probat. min. pariter dist. maj. Nihil potest à voluntate positivè & ut à volente procedere, nisi ad hoc voluntas sit mota & inclinata à fine, concedo: nihil potest negativè & ommissivè ab ipsa, tanquam à non volente procedere, nego. Sicut enim tunc ommissio pura est à voluntate tanquam à non agente, ita etiam à fine, tanquam à non movente: solum enim, quando voluntas movetur, petit à fine moveri.

Ad confirm. Respondeo primò. Illam nimirum probare: quia probat omnem omissionem esse directè voluntariam: Non fuga mali, ut est odium v. g. in virtute boni oppositi, est directè voluntaria, sed ommissio esset fuga mali in virtute boni oppositi; ergo.

Respondeo secundò negando suppositum, quod pura ommissio sit fuga mali, & ex motivo retrahente: sed est ommissio boni non ad quantum capacitem appetitus, idque non ex attractione motivi, sed ex intrinsecâ potestate voluntatis fundatâ in indifferenti propositione intellectus.

Dices. Voluntas in nullo suæ libertatis exercitio ferri potest extra suum objectum adequatum, quod est bonum: sed non potest veritari circa bonum nisi tendendo in illud. Respondeo dist. min. non potest veritari circa bonum positivè nisi tendendo in illud, concedo. negativè & ommissivè, nego.

Instabis. Voluntas per omissionem peccans debet se habere humano modo, & non brutali: atqui non omitendo finem non se habet modo humano. Ergo. Min. proinde probatur, quia ex eo distinguitur à modo brutali operandi quod operatur propter finem.

Respondeo, debet se habere humano modo penes inadæquatam distinctivum à modo brutali operandi, concedo: penes adequatum, nego majorem, & pariter distinguo min. & nego consequentiam. Duplici quippe titulo homo liberè operans distinguitur à brutali modo operandi, primò titulo libertatis, secundo titulo agendi propter finem, unde cum liberè omittit, distinguitur à modo operandi brutorum et uno & inadæquato titulo libertatis, non autem ex altero agendi propter finem.

Adhuc dices: ut voluntas ommitteret humano modo, deberet ommittere rationabiliter: ergo, minor probatur. Quia ommittere rationabiliter est ita ommittere, ut interroganti possit reddere causam & motivum suæ omissionis, quod non potest nisi omittat propter finem.

Respond. neg. min. & ad ejus probationem dist. rationabiliter ommittere est ita ommittere in aliquo sensu, concedo: in omni nego. Quia ly

rationabiliter potest habere triplicem sensum, primò ut significet omittere conformiter ad rationem: Secundò, omittere ex motione finis. Tertio omittere omissione supponente & conno-

tante pro regula iudicium rationis indifferens: quamvis ergò primo & secundo modo pura omisso non sit rationabilis, est tamen in tertià & postrema acceptione,

ARTICULUS III.

An ut omisso, ejusque effectus sit interpretative voluntarius, requiratur obligatio ponendi actum oppositum?

SUMMARI A.

1. Status questionis exponitur.
2. Ut omisso sit imputabilis requiritur obligatio ponendi actum oppositum.
3. Non item ut sit voluntaria.
4. Eliditur evasio Advers. de dominio in potentia.
5. Quomodo actus sit debitus inesse subjecto, ut ejus omisso sit privativa?
6. Nullius rei omisso est voluntaria, nisi evius datur advertentia.
7. Ut effectus ex omissione secutus sit voluntarius omittere requiritur obligatio.
8. Ratio a priori.
9. 10. Ratio ab absurdis.
11. Objectiones 12. Solvuntur.

S. I.

Defenditur voluntaria omisso sine obligatione.

Duplex & distincta est questio, una de omissione, altera de effectu, qui ex omissione sequitur. Et queritur de utroque, an aliqua legis obligatio ad hoc sit necessaria, ut vel omisso, vel effectus inde secutus accipiant rationem voluntarii. v. g. an illi, qui nullam habet obligationem audiendi Sacrum, omisso Sacro sit voluntaria, si illo tempore deambulet, videns ex hac sua deambulatione secuturam omissionem Sacri: Nam si illa omisso non cognoscatur, nullum erit voluntarium, cum hoc necessario requiratur cognitionem. Ad neutrum obligationem requiritur Amicus, Rasler & Th. Sanchez. Ad utrumque Medina & Goner. Ad effectum omissionis voluntarium requirit obligationem, non ad voluntariam omissionem Jo. à S. Th. Gibbon, Contensonus, Godoy, Rhedingus. Ubi totus cardo questionis vertitur in assignandâ illâ ratione, vi cuius omisso, & effectus inde secutus habeant connexionem & dependentiam à voluntate, ut voluntarii dici possint. De quo sit

CONCLUSIO prima. *Ut omisso sit imputabilis in culpam, requiritur, ut voluntas debeat agere: ut vero sit voluntaria, sufficit, quod non egerit, cum tamen proximè potuerit agere.*

Ratio primæ partis est: quia ubi nulla est prævaricatio legis, nulla est imputatio in culpam: sed ubi nulla est obligatio legis, nulla potest esse prævaricatio ipsius: ergò tunc etiam nulla potest esse imputatio in culpam.

Ratio secundæ partis est ex S. D. hic. Illud est voluntarium cuius domini sumus, & quod est in nostrâ potestate: atqui etiam sine obli-

R, P, Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

gatione Sacrum omittere, v. g. tempore quo studemus, est in nostrâ potestate, nosque sumus domini istius omissionis: ergò hæc omisso est voluntaria.

Respondent: cuius actu Domini sumus, illud nobis esse voluntarium in actu, & illud cuius Domini sumus in potentia, etiam esse nobis voluntarium in potentia: & sic omissionem Sacri esse voluntariam student illo tempore in potentia, quia nimirum continetur in potestate voluntatis tanquam in causâ; non autem esse actu voluntariam, quia voluntas sine obligatione nullam exercet causalitatem respectu ipsius, ac proinde non facit illam à se actu dependere.

Sed contra est primò. Ut aliqua negatio fiat indirectè voluntaria, sufficit, quòd necessario connectatur cum actu directè voluntario, ex quo secutura cognoscitur: sed etiam si absit obligatio, omisso Sacri necessario connectitur cum actu studendi, & cognoscitur ex illo secutura. Ergò, Major probatur: Hoc ipso quòd generans inducit formam in materiam, quæ est incompossibilis cum omni aliâ formâ, causat in materiâ indirectè absentiam & privationem aliarum formarum. Item hoc ipso malitia alicujus actus sit indirectè voluta, quia infallibiliter connectitur cum objecto delectabili directè voluto. Ergo dum voluntas liberè & cum cognitione causat actum impossibilem cum auditione Sacri, etiam indirectè & actu causat omissionem Sacri.

Contra est Secundò. Omisso non potest fieri actu indirectè voluntaria ratione alicujus quod est extrinsecum voluntati: sed obligatio est extrinseca voluntati, & tenet se ex parte legis: ergo obligatio non potest esse ratio, cur omisso fiat actu voluntaria.

Contra est Tertio. Obligatio supponit voluntarium liberum: ergo non causat:

Neque dicas: Supponit voluntarium in potentia, concedo: actu, nego. Nam moralitas quæ nascitur ex obligatione præsupponit voluntarium etiam in actu: potest enim actus concipi voluntarius & liber priusquam concipiatur bonus vel malus, nisi concipiatur etiam actu voluntarius & liber: ergo etiam prius concipitur voluntarium indirectum actu, quam concipiatur obligatio: siquidem ista non est constitutum voluntarii, sed moralitatis.

Contra est quartò, præsertim in suppositione puræ omissionis: ideo omisso est voluntaria, quia pendet à voluntate, quæ propter libertatem

tatem contradictionis æquæ est domina sui non velle, quàm sui velle; sed hoc dominium & libertatem habet independentem & præsuppositivè ad obligationem. Ergò.

§. II.

Objectiones solvuntur.

5. **O**bjicies primò. Ut aliqua omisio sit indirectè voluntaria, debet interpretativè contineri in aliquà actione, quæ est impossibilis cum actu opposito omissionis, v. g. ut omisio Sacri sit indirectè voluntaria, debet contineri in actu lusûs, vel studii, qui simul sit impossibilis cum auditione Sacri. Sed hoc fieri non potest sine aliqua obligatione. Ergò. Major inde videtur admittenda, quia hoc est indirectè voluntarium, quod habet connexionem cum alio directè voluntario; sed nisi omisio Sacri saltem interpretativè continetur in actu studii v. g. non apparet aliqua connexio, ergò. Minor quoque probatur: ut omisio Sacri continetur in actu studii sitque non merè negativa sed privativa, tunc debet actus oppositus, nimirum auditio Sacri, esse debitus inesse subjecto; nam aliàs actus studii haberet se merè concomitanter & per accidens ad auditionem Sacri; & omisio Sacri non esset absentia formæ debitæ inesse subjecto, sed si absit obligatio audiendi Sacrum, studium merè concomitanter se haberet ad omissionem, & ipsa omisio non esset absentia formæ debitæ inesse subjecto, ergò.

Respond. primò ex hypothesi sententiæ admittentis puram omissionem, negando majorem tam argumenti quàm probationis. Quia ut omisio sit indirectè voluntaria, sufficit, ipsam connecti cum voluntate suspendente & retrahente influxum directum in actum oppositum, ad quem hic & nunc fuit proximè expedita.

Respond. secundò, permittà majore negando minorem; & ad probationem dist. majorem; debet actus oppositus, nimirum auditio Sacri esse debitus inesse subjecto, per ly debitum intelligendo debitum legale, vel morale obligationis, nego. Hoc ipsum enim est in quæstione: intelligendo debitum quasi naturale physica dispositionis, & proximæ possibilitatis, concedo. Nam privato à Philosopho definitur absentia formæ in subjecto apto, sed quando subjectum, nempe voluntas est disposita ad aliquem actum per præviam advertentiam, jam est proximè apta habere aliquem actum, & sic omisio opposita jam est absentia formæ in subjecto apto.

Instabis. Ista dispositio tantum facit, ut voluntas possit agere; atqui secundum S. D. hic q. 6. a. 3. ut omisio sit indirectè voluntaria, non sufficit posse, sed requiritur insuper debere agere: *Voluntas*, inquit, *volendo, & agendo potest impedire hoc, quod est non velle & non agere, & aliquando debet*; ideo non velle & non agere imputatur ei, quasi ab illa existens.

Respond. S. Doctorem manifestè loqui de voluntario indirecto non quæ libero, sed insuper quatenus imputabili in culpam.

6. **O**bjicies secundò. Si impossibilitas omissionis v. g. studii cum auditione Sacri esset suf-

ficiens causa, quòd omisio Sacri esset voluntaria studenti, penè infinitarum rerum omissiones eidem essent voluntariæ, tot nimirum actuum, quot sunt impossibiles cum actu studii; sed hoc videtur ridiculum, ut v. g. homini dicitur concedenti voluntariæ sint omissiones omnium actuum, qui vigiliam requirunt.

Respond. negando sequelam; quia illorum solummodò actuum omissiones sunt voluntariæ, quorum ut mox possibilem adest in intellectu practica confusa vel explicita advertentia, quod enim nullo modo cognitum, etiam non est voluntarium: unde, qui voluntariè sonum capit, indirectè tantum vult omissionem illorum actuum, quos saltem confusè cognoscit hic & nunc somno impediendis.

Instabis. Illa advertentia tantum proponit auditionem Sacri v. g. ut possibilem eligi, non ut actu eligendam, sique tenet se ex parte potentia & actus primi: ergò non potest esse ratio, cur omisio Sacri sit magis voluntaria actu, quàm in potentia.

Respondeo neg. antecedens: nam advertentia rationis proponit auditionem Sacri pro sequenti instanti etiam actu eligendam, non ex obligatione, sed ex suppositione, si ita voluntas se determinaverit; unde etiam distingui potest consequens. Ergò advertentia ut præsupposita ad actuale impedimentum audiendi Sacrum non facit voluntarium in actu, concedo; ut conjuncta cum actuali & voluntario impedimento, nego: tunc enim omisio jam est indirectè à principio intrinseco nempe voluntate, & cum cognitione finis, nimirum cum advertentia rationis.

§. III.

Resolvitur quæstio de effectu ex omissione secundo.

CONCLUSIO secunda. *Ut effectus ex omissione secutus verè sit indirectè voluntarius immitenti, requiritur præceptum & obligatio ponendi actum, ex cuius omissione sequitur ejusmodi effectus.*

Probant aliqui autoritate S. D. hic q. 6. a. 3. in c. dicentis: *Sciendum, quòd non semper id, quod sequitur ad defectum altius, reducitur sicut in causam in agens ex eo quòd non agit, sed solum tunc cum potest & debet agere*; Ergo ex mente D. Th. non sufficit proxima potentia ad agendum oppositum, sed ulterius requiritur debitum seu obligatio ponendi actum oppositum omissioni.

Verùm hæc autoritas parum favet, cum enim S. D. hoc ipsissimo loco non tantum loquitur de effectu secuto, sed etiam de ipsa omissione, sequeretur quòd etiam ad omissionem voluntariam obligatio requireretur, quod tamen paulò antè negavimus. Igitur S. D. ibidem tantum loqui videtur de voluntario imputabili in culpam.

Probatur ergo ratione primò. Quando ex parte voluntatis nullum reperitur principium intrinsecum, quo physicè vel moraliter influat in aliquem effectum, eumque reddat voluntarium,

rium, recurrendum est ad aliquod principium extrinsecum, ratione cuius saltem moraliter & interpretative talis effectus à voluntate procedat & dependeat; sed in voluntate omittente aliquem actum indebitum nullum reperitur eiusmodi principium: ergò recurrendum est ad aliquod principium extrinsecum, ratione cuius effectus ille connexionem ac dependentiam moralem à voluntate accipiat. Atqui nullum eiusmodi est assignabile, præterquam obligatio præcepti ad ponendum actum oppositum omissioni: ergò sine hac effectus non potest esse voluntarius. Major claret ex terminis. Minor probatur. Inprimis negationes non habent virtutem physicam causativam effectus ut per se patet; sed neque moralem: hæc enim alia non esset, quam quod daretur sufficiens fundamentum prudenter arbitrandi, quòd talis effectus v. g. submersio navis à voluntate dependeat: sed absque obligatione præcepti nullum est tale fundamentum: ergò minor probatur: sublata obligatione effectus non sequitur ex vi omissionis, estque præter imò sæpe contra intentionem omittentis: v. g. submersio navis, quæ directè sequitur ex violentiâ fluctuum; non sequitur ex omissione gubernationis in eo qui non habet obligationem, quantumvis artem gubernandi calleat; ergò nullum est fundamentum, cur censetur à voluntate procedere, vel dependere. Tam antecedens quam consequentia deducitur ex doctrina Thomistarum adversantium, qui omnes negant DEUM esse causam peccati per denegationem auxiliorum efficacium, quantumvis videat his denegatis hominem infallibiliter peccaturum, eò quòd peccatum non sequatur ex vi negationis auxiliorum sed ex vi liberi arbitrii defectuose operantis: ergò similiter submersio navis (eadem est ratio de aliis) non potest adscribi voluntati tanquam causæ, in eo qui nullam habet obligationem artem gubernandi, eò quòd submersio non sequatur ex vi omissionis, sed cum ea solùm per accidens conjungatur. Unde

Probatur secundò ab absurdis. Sequitur enim, omnia peccata hominum & Angelorum esse DEO voluntaria, quòd tamen pie aures abhorrent; siquidem ea per auxilium gratiæ efficacis impedire potuisset.

Respondet Amicus, non esse absurdum, cum addito directè, peccata permissivè esse DEO voluntaria. Sed contra. Tametsi permissenti & impedire omittenti permissio sit voluntaria, hæc tamen est insufficientis ut propterea res permissa dicatur voluntaria permissenti, cum multi defectus à Superioribus ex rationabili causa permissi sint ipsis præfusi involuntarii, uti de peccata DEO. Vel ergò per rò permissivè voluntarium intelligis permissionem esse voluntariam, & tunc extra rem: vel ulterius intelligis præter permissionem ipsa peccata esse voluntaria, & tunc manet absurditas sequela.

Insuper sequitur, eum qui omitteret aliquam

actionem ad quam nullo præcepto obligatur, v. g. cilicium, disciplinam, quæ posset impedire impuros motus, ex quibus pollutio sequitur, eundem peccaturum peccato mollietati. Sequela probatur: omnis voluntaria pollutio est peccaminosa & intrinsecè mala; sed in hoc casu pollutio esset voluntaria secundum fundamenta Adversariorum; ergò esset intrinsecè mala & peccaminosa. Unde à fortiori sequitur, eum qui prosequeretur actionem honestam, cuius prosequendæ jus habet, cum periculo tamen securæ pollutionis absque suo consensu, nihilominus peccaturum mortaliter, eò quòd non removeat causam, ex quâ effectus iste per accidens sequitur, quòd tamen est contra communem Theologorum. Dices fortè: pollutionem directè voluntariam esse intrinsecè malam, non item voluntariam indirectè. Contra est: quòd etiam indirectè voluntaria sit intrinsecè mala, quando subest proximum periculum consensus; quia tunc adest obligatio præcepti ad omittendum actum, aliàs ex sua specia licitum: ergò quòd aliquando non sit mala, ideo est, quòd non sit voluntaria, non quòd sit voluntaria indirectè.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Qui vult causam & antecedens, vult etiam effectum cum causa connexionem, si videat illum exinde secutum: sed ommissio est suo modo causa effectus subsequenti: quia sine eà non sequeretur, & illa posita prævidetur secutus: ergò, cui ommissio est voluntaria, eidem quoque effectus ex tali omissione secutus est voluntarius.

Respondeo primò, distinguendo majorem: si effectus sequatur per se, & ex vi illius causæ vel antecedentis, concedo majorem; si non ex vi illius antecedentis, sed alterius causæ, & per accidens, nego majorem; & sic distinctà minore, nego consequentiam. Secundò nego minorem, non enim, ut aliquid sit causa, sufficit, quòd sine ea effectus non sequeretur.

Objicies secundò. Ut effectus omissionis sit imputabilis in culpam, sufficit illum fuisse prævisum in omissione conjunctà cum obligatione non omittendi actum oppositum: ergò ut sit sine imputabilitate voluntarius, sufficit ipsum fuisse prævisum in omissione non conjunctà cum obligatione non omittendi.

Resp. negando consequentiam: nam sine obligatione non solùm deest sufficiens principii imputabilitatis, sed etià voluntarii interpretativi, ut antea ostendimus. Si dicas: in omissione imputabilitas ad peccatum præsupponit voluntarium: ergò etià in effectu, Respondeo disparitatem esse, quòd in omissione adest principium intrinsecum idque necessariò præsuppositum, nempe vis dominativa voluntatis, in effectu verò nullum intrinsecum haberi potest, sed tantum extrinsecum & morale, quòd est obligatio.

